

Petrus de Vinea

*Ep. III 9 (Speciali quadam,
inter tot et tanta negotiorum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 9 (Speciali quadam,
inter tot et tanta negotiorum...)*

febbraio 1246

Florentinis, ut obediant filio suo, quem mittit eis in Potestatem.

1. Speciali quadam, inter tot et tanta negotiorum genera, quibus pectori nostro continue materia cogitationis infunditur, sollicita meditatione pensamus, qualiter, sopitis inter uos cuiuslibet preteritae dissensionis erroribus, pax et iustitia in uobis noua quodammodo plantatione succrescat; qualiter etiam uoluntatis uestrae tam prompta deuotio, quae quicquid sibi legitimi litigii sinistrae dudum causa superstitionis adduxerat, iudicio nostrae prouisionis exposuit et in libra Cesareae diffinitionis appendit, in gratiae nostrae gremio pocula fauoris inueniat et familiaris aspectus nostri singulari priuilegio potiatur. 2. Ecce igitur, dilectum filium nostrum F. de Antiochia, ad ciuitatis uestrae regimen, cuius inter omnes ciuitates Ytaliae attenta nos cura sollicitat et gratiae nostrae sibi plenitudinem specialius acquisiuit, diligenti consideratione prehabita, duximus destinandum. 3. Ex quo manifestis profecto patet indiciis et probabilibus ostenditur argumentis, quanta uos imperialis auctoritas dilectionis singularitate prospiciat et quam sinceriori specialitate fauoris statum uestrum pacificum amplectatur. 4. Igitur, cum humanitatis nostrae clementiam per euidentiora signa uidentibus ostendi non posse lucidius uideamus, filium nostrum ad uos tamquam ymaginarium nostrae praesentiae destinamus. 5. Fuit haec siquidem salubris et tanta prouisio ut, dum os de ossibus et caro de carne nostra transmittitur, persona nostra, per eum inter uos familiariter presentata, sic ciuitatis uestrae regimini presit, ut prosit, uos in bono statu protegat et tranquillo conseruet ac iustitiae copiam, quam singulis propinari

precipimus, petentibus subministret et fideles nostri deuotae Florentiae tam grati rectoris tam utilis refloreat nouitate. 6. Quem non solum potestate, quam ceteris officialibus imperialis impartitur auctoritas, uolumus esse contentum, sed, ut in facinorosos et segniter seu contumaciter se gerentes liberius animaduertere ualeat, sibi concedimus uices nostras. 7. Vos igitur purae fidei et sincerae deuotionis alumpni presentibus nostrae serenitatis apicibus animati, quos irrequisitos id libenter facere pro certo confidimus, patris in filio presentiam figurantes, ipsum quasi familiaris dilectionis pignus eximium libenter et deuote suscipite et sibi, uelut in quem transfudimus plenitudinem potestatis, in omnibus tamquam personae nostrae promptis affectibus et hylariter obedite, ut deuotionis uestrae constantiam, liberalitatis Augustae prouisio, quae seruitia nouit remunerare fidelium, dignis proinde commendationum laudibus prosequatur, pro firmo scituri, quod obedientiae signa, quae sibi deuotio uestra monstrauerit, equo fauore gratiae prosequemur ac si personae nostrae personaliter monstraretis. 8. Etsi forte, quod omnino non credimus, contra eum quisquam indeuotionis calcaneum eleuaret, transgressores acerbiori iudicio persequemur, quam si etiam in personam nostram hoc alicuius uel aliquorum temeritas attemptaret.